



**C**hristopherus filius fuit illustrissimi principis Huldrici Vuirtenbergensis, & Sabinæ Alberti ducis Bauariæ filiæ, natus est anno 1515. Cum uero Huldricus pater à Sueuici foederis socijs pelleref, Christopherus erat quatuor annorum puer. Hunc itaq; Vilhelmus Bauariæ dux eius auunculus ad se recepit, atq; in bonis literis et uarijs uirtutibus honeste educauit. Postea uero Oenipontē traductus, Ferdinandicæ ditionis oppidum, cui Vuirtenbergensis ducatus in regnorum cum Carolo fratre divisione cesserat. In eo loco optimis præceptoribus erudiendus traditur. Cum enim solus haeres autem regionis esset, hoc fuisse consilij putatur, ut ad exteros abductus, ordinis fieret Ecclesiastici. Erat Christopherus felici ingenio præditus, itaq; Latinam linguam ita didicit, ut eam & loqui & scribere possit, quemadmodum id aliquoties ex familiari colloquio deprehēdere potui. Verum ipse cum adolescentia, armorum studia respicere, atq; Cæsaris aulam sequi cœpit. Cum autem postea anno 1533 Cæsar ab expeditione Turcica ex Austria in Italiam rediret, Christopherus à suis propinquis de suarum rerū statu edocitus, ex comitatu Cæsaris diuertit, & in uicinam Bauariam peruenit. Sequenti anno cum pater Huldricus, fauore regis Galliæ, per Philippum Landgravium in ducatum armis restitutus esset, Christopherus in Galliam proficisciatur, atq; se in regis clientelam tradidit. Ibi per aliquot annos regi Galliæ militavit, Germanorum copijs præfuit, atq; multa uirtutis & fortitudinis sua documenta edidit. Religionem tamen Evangelicæ doctrinæ in his locis professus, nullis uel minis uel precibus ab ea abduci potuit. Itaq; cum pontifex Romanus, Cæsar, & Gallus Niceæ conuentum celebraret, atq; funesti belli inducias faceret, in quo rex pontifici sedenti in cathedra dextrum pedem oculare refur, atq; postea idem & reliqui proceres præstarent, Christopherus dux id facere recusauit, licet eius rei gratia serio à Connewestablio admoneretur. Eius exemplū & cæteri Germani proceres, qui Gallo militabant, secuti sunt, magna Galiorum admiratione. erat id anno 1539.